

Q. B. C.

DISSE

**HISTORIAM  
ECCLESIAE REFOR-  
MATÆ IN SUECIA  
EXHIBENS,**



Cujus PARTEM PRIMAM,  
*Suffrag. Ampliss. Senat. Philos. in Reg. Acad. Aboëns.*

PRÆSIDE

**MAG. JOHANNE  
BILMARK,**

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.  
nec non Facult. Phil. h. c. DECANO,

*Publicæ disquisitioni offert*

**GABRIEL TIDGREN,**

WESTRO-GOTHUS,

IN AUDIT. SUPER. DIE 9. Martii A. MDCCLXVIII.

*Horis Antemeridianis.*

---


A B O Z

Impressit JOH. C. FRENCKELL.

VIRO  
MAXIME REVERENDO Atque AMPLISSIMO,  
**D:no CAROLO**  
**NORING,**  
S. S. THEOL. DOCTORI, ECCL. SVEC. QVÆ LOND.  
ANGL. EST, ANTEHAC PASTORI Ac PRÆPOSITO GRA-  
VISSIMO, MÆCENATI MAXIME COLENDO.

**M**os fuit antiquis, Düs tutelaribus aras,  
Et libros magnis sacrificare Viris;  
Sic celebris Flacci Mæcenas præsidet Odis,  
Sic a laude Maro Cæsaris infit opus.  
Hæc licet imparibus vestigia passibus urgens  
Dum TIBI primitias libo, VIR Ample, meas;  
Non equidem valeo seris TUA tradere seclis  
Nomina, vel famam perpetuare TUAM.  
Illa meæ non laudis egent, celebrata manebunt,  
Virtuti & meritis dum famulatur bonos:  
Immemor usque TUI nec dego favoris, ut illi  
Hoc dare me sperem munere posse vicem.  
Ait patiare tamen, TUA quo beneficia colantur,  
Fiat ut hæc animi pignus opella mei.  
Est TUA præsertim non segnis gratia, quæ me  
Aoniis fecit non dare terga Deis;  
Hæc igitur cape dona favens, PATRONE, clientes  
Auctioremque inter perge referre TUOS.  
MAX. REVEREND. AC AMPLISS. NOMINIS TUI

Cultor Humillimus  
**GABRIEL TIDGREN.**



### §. I.

**O**namvis Religio, Christiana imprimis, sit præstantissimum donum a Supremo Numinis mortalibus concessum; quippe quæ naturales intellectus nostri tenebras dissipat, voluntatem mandatis Divinis obedientem reddit, hominibusque ita virtutum ac salutis viam ingressuris luculentissimam præfert facem; tantam tamen deprehendimus nonnullorum pravitatem, ut hujus splendorem nec ipsi acie satis constanti sustinere quæcant, nec alios in eodem versari permittant, sed Sanctissima DEI Oracula corrumptant, & ab oculis hominum, ut maxime perniciofa, removeant, sua viceissim placita, turpissimorum vitiorum pabula, illis graviter obtudentes. Magni præcipue talium technarum fabricatores fuerunt Joves Capitolini, Pontifices Romani. Hi quidem in initio satis modeste sese gesserunt & intra pelliculam se continuerrunt suam; quum autem ab Imperatoribus magnis beneficiis onerati potius quam honorati essent, more ingenii humani, quod spes improbissimas concipiit, insperata consecutum, cristas erigere, altiora

spirare, dominatum extendere & omnia demum orbis Christiani sceptrum suo subjicere pedo sunt moliti. Quam vero tantis tamque perversis machinationibus ratio vel tantillum culta refragaretur, igitur hi Religionis promachi scilicet, ipsam Religionem ex animis hominum obliterare studuerunt, & contra ea vanas superstitionum præstigias introduxerunt. Ne autem e veterno expergesierent, variis delinimentis, quæ pravo hominum ingenio conveniunt, eos demulserunt. Sic gravissima scelera, dum vel specie Romana sacra propagandi committerentur vel tradita fisco Pontificali insigni pecuniarum summa expiarentur, in foro tam Soli quam Poli, pro ea, quam sibi vindicarunt, potestate, facile remiserunt Romani Antistites. Immo indulgentiis tantum statuebatur pretium, & vim adeo Divinam eis inesse nugabantur, ut non solum ad poenæ, verum etiam ad culpæ remissionem valerent.

*Quid Cives facerent, audet cum talia Princeps?*

Quid? Quod sicut venum omnia exposuerunt, ita fœdissimæ etiam Harpyiæ in numerum Sanctorum haud operose fuerint relatæ, modo circa vitæ exitum crumenas Monachorum satis distenderent. Tot vaferimas artes in robur super-eminentis dominii Pontificalis, sed in extremam generis humani perniciem, excogitatas, ægerrime tulerunt cordati quivis Viri. Sed quam hinc horrendas JOH. HUSSI flamas perpenderent, inde gravissima Anathematum fulmina extimescerent, plerorumque studium reformati

di ecclesiam intra pia substitit vota. Enimvero dum Pontifex R. Leo X. in profundo voluptatum sinu otiantur, dumque ex Sedis Apostolicæ culmine sub pedibus cælum atque terram spectat, occasione indulgentiarum, in compitis etjam & tabernis Germanicis venalium, excitatus Megalander LUTHERUS, pravis Pontificis moliminibus sese fortiter opposuit, tantamque rerum mutationem tam in Ecclesia quam in Rebuspublicis importavit, ut novum Sæculum, revocato Evangelio, condiderit. Quanta sint pii hujus Herois in Ecclesiam merita jam dicere a proposito nostro nimis foret alienum. Sufficiat monuisse, quod ad Lectionem Scripturæ S. homines cujuscunque dignitatis ac conditionis admiserit, commenta Pontificia valide confutaverit, doctrinam, Sacrarum litterarum regulis convenientem, proposuerit, atque gravissimum auctoritatis Pontificiæ jugum, Divine auxilio, fortiter excusserit.

## II.

Sed non diurna halcyonia egit Ecclesia, a mendis Pontificiorum repurgata. Inimicus enim Zizania inter triticum, quod uberem pollicebatur proventum, seminare instituit, utque messem in ipsa herba interciperet, statim a primordio in id incubuit, ut vel variis hæresibus Ecclesiam dilaceraret, vel Schismatibus excitatis animos Evangelicorum invicem redderet infestos. Primus turbo exstitit in ipsa Saxonia. Dum enim LUTHERUS Ecclesiæ & re-

formandæ & pacandæ sedulam impenderet operam,  
**CAROLOSTADIUS** Archi-diaconus Wittembergensis,  
 Vir cetera doctus, sed, turbulentus, quo fuit, animo  
 iterum iterumque in transversum actus, ignorans  
 quæ fata Lutherum mansisset, succrescentem DEI  
 plantationem ferme disperderat. Fanaticismi enim  
 spiritu potius abreptus, quam debito pietatis Zelo  
 ductus, in ipsas Sanctorum imagines, quæ in tem-  
 plis servabantur, sævire incepit, easque penitus ab-  
 lendas esse statu minavit. Immo in ipsis gravissimis  
 dogmatibus, præsertim in articulo de Sacra Cœna,  
 a Scriptura Sacra & a Luthero recessit; veram a-  
 que realem præsentiam corporis & sanguinis Chri-  
 sti in augusto hocce Sacramento admodum negans.  
 Verum hos motus sua & præsentia & prudentia  
 brevi post composuit Lutherus; factumque est, ut  
 Carolostadius paucos in Saxonia inveniret ad seclas.  
 Eodem circiter tempore & alibi locorum parem Ec-  
 clesiæ reformationem suscepérunt alii, quos inter  
 primo loco nominandus est **Ulricus ZWINGLIUS**,  
 Pastor Ecclesiæ Tigurinæ in Helvetia. Scilicet tu-  
 baverant admodum Ecclesiam acerrimæ contentio-  
 nes inter Monachos Dominicanos & Franciscanos  
 de immaculata Virginitate B. MARIE; quorum utri-  
 que ut placita sua confirmarent, non solum crebras  
 apparitionum præstigias jactitarunt, sed etiam vari-  
 is stratagematibus, quæ horrendam istorum tempe-  
 rum barbariem sapiunt, usi sunt, ut adversarios  
 suos confunderent. Enimvero quum constitisset,  
 quod Papicolæ venenatas hostias in S. Cœna eis  
 convi-

convivis porrigere non dubitassent, qui atroces eorum ferre non potuerunt injurias; singuli, quibus fatus tam civilis quam aeterna curæ fuit, tantorum abusuum abolitionem atque Ecclesiæ reformationem vehementer desiderare incepérunt. Exulceratos Helvetiorum animos insuper exasperarunt Legati Pontificum R., qui per nundinationem indulgentiarum ingentem pecuniarum vim ab afflictis Helvetiis ea tempestate extorserunt. Hæc omnia probe noverat Zwinglius; quamobrem cum ad Ecclesiam Tigurinam A. 1519 vocatus esset, Pontificis avaritiæ sese opposuit, Sanzionem Franciscanum Mediclanensem indulgentias vendentem repressit, atque tam Pontificem, quam ejus Legatos officii sui admonuit. Tandem, habitis variis Synodis, Reformatio Ecclesiæ in multis Helvetiæ pagis suscepta atque peracta fuit. Sed majori fervore in arduo hocce negotio sese gesserunt Helvetii, quam Germani, adeo ut imagines & alia pristini cultus vestigia e Templis removerint omnia. Quid? Quod Zwinglius ipse, dum pagi, Pontificiæ Religioni addicti, contractis copiis Reformatos opprimere studerent, exercitum, ex suis ad seclis compositum, duxerit; sed in gravi prælio A. 1531 occubuerit. Opus a Zwinglio inceptum continuavit Job. CALVINUS, a quo Reformatae Ecclesiæ addicti nuncupantur Calvinistæ; quemadmodum AMERICUS VESPUTIUS suum dedit nomen Indiæ Occidentali, a COLUMBO licet detectæ. Sicut autem nos Evangelici potius quam Lutherani dici volumus; ita Calvini ad seclæ Ecclesia Reformata potius, quam Calvinistæ salutari optant.

## §. III.

Licet Calvinus pleraque sua dogmata ex B. Euthero sumserit mutua, in multis tamen ab eo fecerit. Sed vere dici potest de illo, quod de EPICURO pridem professus fuit CICERO: Democrito quædam adjecit, per pauca mutans, sed ita, ut ea quæ corrigeret vult, mihi quidem depravare videatur (a). Interim tamen quum Lutherus, magnam, uti parerat, in Germania consecutus fuisset auctoritatem, Calvinus quoque & ceteri eorundem dogmatum Doctores, ut tam suis placitis robur adderent, quam Germanos & alios populos in sua perducerent castra, iterum iterumque jactitarunt: Ecclesiam sic dictam Reformatam parum adeo ab Evangelica dissentire, ut tota discrepantia in verbis tantummodo consisteret. Fatemur quidem has Ecclesiæ in verbis differre, sed simul erit admittendum, quod sensus horum verborum tanti sit momenti, ut ad hominum æternam vel salutem vel condemnationem vergat. Notum enim est, quod Reformati statuant, quosdam homines jam ab æterno vel ad felicitatem vel ad exquisitissimos cruciatus ita esse destinatos, ut, quidquid moliantur & agant, necessitatem fati sui nequaquam eluctari queant; constat vero simul quod Evangelici inevitabile ejusmodi decretum, ut Sapientiæ atque Bonitati Divinæ e diametro adversum, penitus rejiciant. Præterea dum Evangelici, ad tenorem institutionis S. Cœnæ, docent corpus & sanguinem CHRISTI in hoc Sacramento vere

&amp;

realiter & substantialiter adesse, & convivis, *in, cum & sub* pane atque vino exhiberi; Calvinistæ contra autumant, panem & vinum esse tantummodo Symbola corporis & sanguinis Salvatoris nostri, cum quibus ipse spiritualiter & per fidem unitur. Enimvero non omnes Reformati in dogmatibus suis æqualiter ab Ecclesia Evangelica recesserunt, sed proprius ab eadem absunt nonnulli. Hos inter præcipue nominandus est Jacobus ARMINIUS, Remonstrantium antesignanus, qui cum in eo erat occupatus, ut Joh. CALVINUM & Theodorum BEZAM contra Sublapsarios defendaret, ipsem non tantum de veritate sententia, quam sibi confutandam sumserat, fuit convictus, sed ulterius procedens, Doctrinam de absoluto decreto impugnare cœpit, gratiamque adeo DEI Universalem adserere. Et quamvis hæc sententia in Synodo Dordracena damnaretur, multi tamen, tam alibi, quam in Gallia fuerunt Eruditi, qui ad partes Arminii accederent, absolutumque decretum prescriberent. Eodem prorsus modo suam sententiam de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœna exalciatam perpoliunt Reformati, ut minimus ab Evangelicis dissensus adpareat. Hinc Cl. STAPFERUS: Reformati statuunt quidem corporis & sanguinis Christi præsentiam realem, veram, sed spiritualem, dum ea ad sint vi & efficacia sua. Negant autem præsentiam corporalem & substancialem, quam nullius usus, impossibilem & fidei Analogiae contrariam esse docent. Negant propterea etiam, indinguos verum Christi corpus & sanguinem accipere. Et

paucis interjectis idem Auctor ita pergit: *Subscribimus itidem Confessionis Augustanae Articulo X. quod corpus & sanguis Christi vere adhuc & distribuantur vescientibus in Cœna Domini* (b) Enimvero vel ex his in medium allatis adfatum constat, quod Calvinistæ magnificis demonstrationum adparatibus vel fucum simplicioribus faciant, vel nodum in scirpo querant, dum statuant corpus & sanguinem Christi in Sacra Cœna vere & realiter adesse, & tamen hanc deinceps phrasin virtualiter solummodo interpretantur. Quis, quæso, ferret hominem calculos ita subducens: Anima vere & realiter adest corpori nostro; Ergo virtualiter tantum, non substantialiter, eidem adest. Potiori jure ita foret concludendum: Ergo & substantialiter & virtualiter eidem adest. Fatemur equidem, quod modum præsentiae corporis & sanguinis Christi in pane & vino non cognoscamus; sed quis adeo perfectæ frontis esset, ut curta ingenii atque rationis suæ decempeda immensam Mystoriorum Divinorum abyssum metiri conaretur. Verum ulteriori harum opinionum examine supercedemus, ne extra oleas vagari videamur.

(a) Vid. *CICERONIS Libr. I. de Finibus bon. & mal.* (b) Vid. *Theologie Polemica Tom. V. p. m. 230 & 232.*

#### §. IV.

His præmissis, instituti ratio postulat, ut intra definitam tractationis orbitam nos recipiamus, succincte expositūri *Historiam Ecclesiæ Reformatæ in Patria.*

tria. Quamvis igitur Gl. mem. Rex Sueciae GUSTAVUS I. non tantum natale solum a Christierni tyrannide in libertatem & tranquillitatem vindicasset, sed etiam augustum Reformationis opus feliciter peregisset, omnemque navasset, operam ut doctrinam Evangelicam a quavis heterodoxia puram, sartam teatamque conservaret; sua tamen auctoritate & gravitate impedire non potuit, quin tam Catholici iterum iterumque resurgerent, quam Reformati per pseudothyrum aditum sibi in has oras pararent. Ferunt nonnulli, quod Nobilis quidam Polonus, JOHANNES de LASCO, quem propter Religionem Calvinisticam ex Anglia ejecerat Regina MARIA, & qui paullo post solum Danicum, quorsum se contulerat, vertere coactus fuisset, a GUSTAVO in Sueciam arcessitus fuerit; sed quum res successu caruerit, de hac invitatione multi non immerito dubitant (*a*). Extra dubitationis autem aleam possum est, quod interea dum GUSTAVUS cum Daniæ Rege in Regnorum confinio convenisset, ut tam antiquas quam nuper obortas controversias componeret, variis tumultus propter Religionis negotium in ipsa metropoli extiterint. Taceo alios, sed notandum est, quod Melchior Rinck & Bernhardus Knipperdöllinck ex Germania cum Hollandica nave pervenerint: quod audacter ingressi sunt Templum Holmense, dictum S. Johannis, organa ejecerint, statuas & imagines confregerint, tantasque turbas excitaverint, ut vulgus inter claram Evangelii doctrinam & perversos hosce Zelotas fluctuaverit. Post-

quam autem Rex domum redierat, caussamque horum motuum cognoverat, hos turbatores carceri mancipavit, posteaque eosdem regno proseripsit, capitis poena ipsis indicta, si unquam in Suehiam reverti auderent (b). Novimus equidem, quod hi Novatores ad classem Anabaptistarum vulgo referantur; idem tamen eos Spiritus, qui Carolostadium, Zwinglium & Calvinianos plurimos agitabat, & ad organa cum statuis & imaginibus, quae innocua tamen erant Templorum ornamenta, ejicienda incitabat. Nam Carolostadius, ut vidimus, inepta sua docendi ratione populum eo perduxit, ut fese Christianum per imaginum fractionem arbitraretur. Et in Gallia ac Belgio Calviniani passim imagines, altaria & organa subverterunt. Ac ne quis opinetur, veteres Zwinglianos & Calvinianos ita solummodo saevisse; Berolini etiam, ubi non Calviniani, sed Reformati salutari cupiunt, noctu in templo Cathedrali altare medium & imaginem crucifixi confrengerunt, ac in fluvium Spream projecerunt, & postea dies aliquot consumulerunt subversione altaris magni, imaginum crucifixi, baptisterii cum in aede sacra tum in cœmiterio, & denique sclopeticis in ferream auroque obductam crucem Templo impositam glandes magna vi, sed irrito conatu, vibrarunt (c).

(a) Vid. DALINI Histor. Sveb. Tom III. p. m. 444. (b). Vid. PAAZII Invent. Histor. Eel. Svio-Goth. p. m. 158. (c). Vid. Job. LUCH Dresdensis Wahrhaftiger Bericht über das 21 Francfurt an der Oder gedruckte Calvinische Büchlein.

## §. V.

Continent Scientiæ Mathematicæ tot & tam exquisitas delicias, ut homines excelsi ingenii ea-rundem cognitionem sibi comparare plerumque so-leant. Quamobrem etiam de Jesuitis constat, quod postquam Religionem Papisticam per Imperium Chinense propagare decrevissent, negotium tanti mo-menti demandaverint Viris, rerum Mathematicarum peritissimis; qui has disciplinas profitentes & earum usum curiosis Chinensibus ostendentes, tantam sibi acquisiverunt famam, ut in ipsam Aulam fuerint admissi, & Religionis suæ fundamenta in multorum cordibus dextre posuerint; quæ tamen paullo post, quum impotenter se gererent, penitus everterunt. Parem ferme scenam in Patria nostra sub ERICO XIV a Calvinistis ludi cœptam, perhibent Annales. Quum enim hic Princeps ingenti litterarum studio flagraret & disciplinis præcipue Mathematicis valde delectaretur, ad se arcessendum curavit *Dionysium BEURREUM*, qui Reformatæ Religioni fuit addictus, ut ab ipso tam in Mathesi, quam præeiuue in Astrologia institueretur. Nec partibus suis defuit BEURREUS, verum longius progressus, quam Regi GUSTAVO I. circa auspicia muneric sui pro-miserat; atque impetrata Principis gratia, quoties occasio ferret, de præstantia Religionis suæ magni-fice disseruit; sperans se, partim Principem, qui varius admodum fuit, in suam sententiam sensim perducturum, partim etiam liberum Religionis ex-ercitium adfictis Calvinianis in Suethia procuratu-

rum. Religiosum hunc Mathematicum, qui sublimia jucundis temperare apprime novit, haud invitatus audivit ERICUS, nec sacra ipsius dogmata improbavit; quare multa ab hoc Principe sibi pollicebantur Calvinistæ, postquam imperii habendas capessivisset. Interea BEURREUS novas meditabatur technas in gratiam Reformatæ Ecclesiæ. Quum itaque ERICUS ea tempestate tædas conjugales pararet, BEURREUM que in intimæ familiaritatis jura admississet, hic opportunam adeo occasionem haud negligendam esse censuit, sed ERICO persuasit, quod Angliæ Princeps ELISABETHA tot gratiis, virtutibus & tam ingentibus dotibus prædita esset, ut si vel fingere ipse vellet, nec meliorem nec præstantiorem thori Sociam exspectare posset. Sed in his omnibus non tam ERICI, quam Calvinistarum, caussam egit BEURREUS. Satis enim prævidit, quod si has nuptias conciliare posset, ERICUS vicissim ELISABETHÆ, quæ Reformatam profitebatur Religionem, amorem sibi conservaturus, illius fidei ad seclis commoda quaedam tanto minus denegaret, quod eadem Sacra ipse probaret. Sed quum ELISABETHA præces ERICI, quantumvis ambitiosi, dextre eluderet, molimina quoque BEURREI ex hac parte incassum tum cecidrunt (*a*). Circa idem tempus *Georgius Petri*, quem sua familiaritate dignatus fuerat ERICUS, opus a BEURREO incepsum pro ea, quantum polluit, auctoritate continuavit, Regemque in partes Calvinianorum pertraxit, ceu testatur NIEHENKIUS (*b*). Interim cardo felicis successus Cal-

vinista-

vinistarum in BEURREO vertebarū; qui postquam purpurea dignitate ornatus esset, nullam prætermisit occasionem, qua Religionis suæ florem promoveret. Edidit enim BEURREUS Scriptum, in quo Augustanam Confessionem, ejus Apologiam atque Lutherum pro suis dogmatibus allegaverat, mandationem indignorum oppugnaverat, Panem & Vinum Cœnæ Dominicæ esse nuda rerum absentium symbola finxerat, negaverat etjam Christum pro impiis sanguinem fuisse. Sed quod scriptum solidè refutavit Archi-Episcopus Upsaliensis LAURENTIUS Nericius (c). Interea in suas partes perduxit quendam Johannem Ofeg & pro ea, qua apud Regem valuit gratia, effecit, ut ipse Episcopatum Arosensem obtainuerit. Hic aliquamdiu celavit propensum suum in Calvinianos animum, sed deinceps a bello, quo impediti Mercatores Suethici vinum ex Hispania & Belgio advehere non poterant, occasionem sumsit, Calvinianorum placitum, quod S. Cœna in alio potu, quam vino, urgente necessitate, administrari posset, passim dispensandi. Etsi enim A. 1563. fundamentis fidei de Sanguinis Dominici participatione in vino & non alio potu, communi Cleri Sueciani consensu collectis subscripsisset; attamen quum a Georgio Petri audivisset, Regem velle, ut Pastores absque omni tergiversatione administrarent S. Cœnam in quounque liquore sacrum poculum porrigere possent, D. ocestanis suis persuadere peculiari Epistola, data d. 25. September An. 1564, annisus est, id recte fieri; quamobrem Episcopum hunc per contumum,

temtum, ut videtur, nuncuparunt *Liquoristam* (d). Mox autem hæc sententia evanuit, sufficiente in usum Eucharistiae vino in Svetiam allato. Verum non una fuit tempestas, qua Ecclesia Evangelica tunc temporis in Suethia agitabatur: aliam enim haud ita multo post excitavit idem Aeolus Hyperboreus BEURREUS, qui Calvinianis, quos ex Gallia in Suetiam vocaverat, liberum Religionis exercitium procurare impense moliebatur. Aegre admodum hi tulerunt, quod ab Evangelicis Hæretici dicerentur, contendentes, se esse orthodoxos. Nihi-lo tamen minus Sacerdotes a Rege ERICO enixe petierunt, ut ipsi ejicerentur, ne partem sinceram Evangelicorum traherent; sed ipse arduam hanc item reliquit indecisam (e).

- (a) Vid. *LOCGENII Histor. Suec.* p. 347 seq. & *DALINI Histor. Petr.* Tom. III. p. 414. (b) In *Oratione Seculari* p. 21. (c) Vid. *RAAZII Inv. Hist. Eccl.* p. 290 seq.  
(d) Vid. *SPEGELS Hist. Eccl. Part. I.* p. 358 (e). *Conf. DALINI Hist. cit. p. m. 592, 593.*

### §. VI.

Tragici vitæ exitus, quos sequenti tempore habuerunt BEURREUS, GEORGIUS Petri & ipse Rex ERICUS XIV. impediverunt, ne Calvinistæ suam libere profiteri possent religionem. ERICO, de solio Imperii dejecto, successit ejusdem Frater JOHANNES III, qui, ineunte adolescentia, magna, quidem dedit prudentiæ, magnanimitatis & constantiæ specimina, sed qui Rex factus, adeo sui dissimilis fuit,

fuit, ut cives Principem, nuper optimum, vix cognoscerent. Quamvis enim JOHANNES, dum Magnum Ducatum Finlandiæ regendum susceperebat, testamento Regis GUSTAVI I, in quo inter alia sancitum fuit, ut *Religionem Evangelicam sartam tectamque tam ipse, quam hujus posteri conservarent, se se obstrinxisset;* quamvis etjam eandem promissionem plenius, dum ad gubernacula imperii Sveo-Gothici pervenit, confirmasset, addito edicto, ut qui sectarius sequerentur *opiniones, nisi eandem nobiscum complecti vellent veritatem, intra anni spatium e regno omnes discederent;* ab his tamen omnibus promissis Rex discessit, atque Conjugi suæ gratificaturus, ut Pontificiam religionem in Suethiam postliminio introduceret, Lithurgiam a se confitam, quæ media inter Evangelicam & Catholicam esset (a), civibus partim proposuit, partim obtrudere conatus fuit, adeo ut cum vera Religione aetum ferme concilatumque esse videretur. De cetero sub hoc Rege haeresis *Liquoristarum*, de quibus nuper locuti fuimus, magis magisque ingravescere coepit in variis regni provinciis, qui motus Ecclesiastici occasionem praebuerunt Concilio Upsaliensi, An. 1572 celebrato, in quo graviter statutum, ut in Religione Evangelica omnes persisterent (b). Quamvis autem turbis Lithurgicis sub JOHANNE & machinationibus Papistarum sub SIGISMUNDO Rege maxime distraherent civium animi; verosimile tamen est, quod Religio Reformata hac tempestate non omnibus displicerit, sed suos passim, licet clandestinos, habuerit adseclas. Inter alia hoc constat ex gravi illo sermone,

quem Archi-Episcopus Upsaliensis NICOLAUS Olavi, Botniensis, in agone mortis ad circumstantes habuit amicos: ubi inter alia sic differit: *Dilecti fratres, videtis me virum esse infirmum, & agnoscitis Ecclesiam DEI his præcipue ultimis mundi temporibus semper temptationibus obnoxiam esse: Satan ad summum conatur labefactare & obscurare salutarem & consolatione plenissimam doctrinam de Sacramentis Domini nostri IESU CHRISTI, quibus inclusit ac velut sigillavit CHRISTUS omnia beneficia, humano generi per mortem iphus parta.* Etjam videmus Ecclesiam Patriæ his duabus pestiferis Sectis, Papistica & Calvinistica, multum agitari (c). Immo Episcopus Strengnesensis PETRUS Jone in nonnullorum suspicionem incidit, quod Calvinianis clanculum faveret, sed qui in Concilio Upsaliensi An. 1593 ab hac culpa sese valide liberavit, Sacramentiorum errorem & alias hæreles graviter refutans (d). An vero Crypto-Calvinanorum machinationibus obtentum sit, ut in dicto Concilio verba Exorcismi: *Exi ab hoc, far här ut / duriora censemur, ac pro his substituerentur illa; Discede ab hoc, wif härifrån / aliis discutiendum relinquimus.*

(a) Hac Liturgia JOHANNES idem intendit, quod suo *Interim* haud ita pridem moliti fuerant Pontificii. Sed utrumque institutum suspectum fuit Evangelicis. Hinc dixerunt Germani: *Selig ist der Mann, Der GOT'T vertrauen kan, und willigt nicht ins Interim, denn es hat den Schalck hinter ihm.* (b). Vid. DALINI Hist. Spec. Tom. III, Part. II, p. m. 30 & 31. (c). Conf. BAAZII Inv. H. 8, p. 585. seq. (d). Vid. DALINI Libr. cit. p. m. 254.

## §. VII.

Quod communi dici solet proverbio: *Quisque suos patimur manes, quadrat etjam in filios Magni Regis GUSA VI I*, quorum ne constantissimi quidem in gravissimo Religionis negotio satis constantes fuerunt. Vidimus nuper, quod Rex ERICUS XIV a studiorum Moderatore BEURREO in devia Calvinistarum fuerit seductus & quod Religionem Reformatam per Patriam propagare conatus sit. Conjugi rursus, quam impense dilexit, gratificaturus Rex JOHANNES III, Papistica Sacra civibus obtrudere voluit. Quamvis tertius filiorum Gustavi gl. mem. Rex CAROLUS IX. exserta hydræ Pontificiæ capita, tanquam alter Hercules, masculine contriverit, & in robur Religionis Evangelicæ quamlibet symbolam contulerit, diffiteri tamen non possumus, quin in Religionem Reformatam propensior videatur, quam ab erecta ejus indole exspectare fas fuit. Primam Religionis humanus promulgatam haussisse creditur CAROLUS, cum Heidelbergæ nuptias cum Principe MARIA An. 1579 celebraret (a). Deinceps in celebri Concilio Upsaliensi, An. 1593 habito, statutum fuit, quod non solum Sacramentarii, sed etiam Zwingiani & Calviniani, horum licet in initio expressa non facta esset mentio, in perpetuum a communione Ecclesiæ Svecanæ excluderentur. Scilicet verebantur Ordines Regni, ne Dux CAROLUS hos defendereret, sed quum ipsum sollicitasse de his excludendis, precibus quoque eorum annuit (b). Licet in dicto Concilio sancitum

eflet, ne cives aliam publice proficerentur Religionem, quam Evangelicam; permisum tamen fuit Mercatoribus & Artificibus, qui Reformatæ Ecclesiæ fuerunt addicti, hic confedere. Hac ratione prudenterissimus Princeps in Patriam alicere voluit *Vallones*, qui propter Inquisitionem Hispanicam in Belgio avitos penates deferere cogebantur (*c*). Interjecto tempore sicut Sueci ægerrime tulerunt imperium SIGISMU<sup>DI</sup>, quod Pontificiæ Religioni eflet devotus; ita ipse vicissim CAROLUM atro notare carbone ob Calvinismum studuit. Inter alia igitur præcepit Fin-landiæ Gubernatori, *Claudio Fleming*, ut in templo Cathedrali Aboënsi & alibi constitueret Signum Crucis CHRISTI & Sanctorum imagines, quas Hæretici, uti dicebat, more Calvinistico inde déjecerant (*d*). Vergente ad finem Sæculo XVI CAROLUS edendam cœraverat Ordinationem Ecclesiasticam, quam examinandam sibi sumsis depositus Archi-Episcopus ABRAHAMUS *Andreae*, qui Stegeborgi captivus detinebatur, & ostendit eandem propius ad Calvinisticam, quam ad Evangelicam, accedere Religionem. Quid? Quod imperterritu, quo fuit, animo Principi CAROLO ob- jicere ausus fuerit, quod non solum faveret Calvinianis, sed etiam pari studio Reformatam Religionem introducere conaretur, quo JOHANNES nuper foverat Papisticam; quo tamen captivitatis suæ squalorem non minuit (*e*). Postquam ad Regni gubernacula accessisset CAROLUS, precibus Ordinum Regni suffragaturus, culmini Archi-Episcopali admovit M. OLAVUM *Martini*, filium M. *Martini*, Episcopi Lin- copien-

copiensis, qui præstigiis Lithurgicis constanter se op-  
posuit, etiamsi ab omnibus tunc in Arce Holmensi  
congregatis Clericis solus a sinistris relinqueretur. De  
Patris constantia nihil plane remisit Filius, CAROLO  
tum ab proprias virtutes, tum ab gratam Patris me-  
moriā charus. Electus Rex urgebat, non esse visi-  
tandos a Ministro Ecclesiæ agrotos, ut porrigitur ius-  
dem necessario S. Cœna, quasi moriturus non salvaretur  
absque hac ultima Cœna Dominicæ participatione (f).  
Quisque facile videt, hoc consilium a Crypto Calvi-  
nianis fuisse novo Regi subministratum, ut cives sui S.  
Cœnam vilifacerent. Si enim in ea nihil esset præ-  
ter merum panem & vinum, quid opus esset, mori-  
turis eam exhibere? Præterea Rex novam profatio-  
nem in usu Baptismi & S. Cœna populo esse prælegen-  
dam voluit. Sed Clerici pie & masculine responderunt,  
innovationes istas decreto Concilii Upsaliensis repu-  
gnare, nec sine gravissimo scandalo admitti posse. Pa-  
lam quoque testati sunt: Videre se in allato Scripto  
Electi Regis quasdam contineri teclis verbis sententias  
a Sacramentariis excogitatas; quæ cum negarent institu-  
tam Sacramentorum efficaciam, non possent vi Decreti  
Concilii Upsaliensis, quod in verbo fundatum esset, in Sue-  
cicis Ecclesiis admitti. Rex vicissim se vitam & omnia  
sua pro servanda Religione Evangelica offerre, nec quid-  
quam se in gratiam Sacramentariorum scribere aut inno-  
vare, professus est (g). Eodem An. 1602. Calvinianus  
Theodosius MICRO IUS, Regem ex Livonia in Sue-  
thiam comitatus, Theses consignavit, plenas placito-  
rum Calvinianorum. In iis negabatur Communica-

tio idiomatum in persona CHRISTI: fingebar, opera nostra ingredi actum Iustificationis: Electio hominis ad salutem definiebatur absolute, quasi electus salvaretur quomodocunque viveret: Sacramentorum efficacia coarctabatur sola obsignatione: Phrases, in, cum & sub pane Sacramentali est corpus Christi, damnabantur, etc. Theses illas Rex offerri jussit Archi-Episcopo, a quo solide refutabantur (*b*). Idem quoque refutavit *Ordinantium Ecclesiasticam*, juxta quam ritus Ecclesiastici in AULA Regis disponerentur. Ostendit enim Archi-Episcopus OLAUS M. ordinantium istam scandali plenam esse, atque observatores ejus se se Ecclesiæ Calvinæ ad sociare docuit, eo quod ex Agenda Heidelbergensi nonnulli ritus & phraes essent de promtæ. Animadversiones Archi-Episcopi convelle quidam sunt aggressi, sed vicit veritas & nullam praxin invenit hæc innovatio, exemplaribus illius Ordinantiae depositis (*i*). In Comitiis Holmensibus, quum Ordines Regni circa auspicia imperii submisæ a Rege periissent, ut Confessionem fidei suæ ipsis exhiberet, libere professus est, quod Scripta Prophetarum & Apostolorum anteponerentur Confessioni AUGUSTANÆ, cuius classicam autoritatem agnosceret, quatenus Scripturæ Sacrae ipsa conveniret (*k*). Sequenti An. 1603. edidit Rex Litteras patentes Elfsburgi, quibus Hollandos aliosque invitavit, ut in insula Hisingen confederarent, & novam urbem Gothoburgum fundarent (*l*). Quibus, licet Calvinianis, liberum Religionis exercitium paullo post concessit (*m*). Ut ex Gothia Holmiam pervenit CAROLUS, ferram contentionis cum Archi-Episcopo

Episcopo reciprocavit. Scilicet ut moliminiibus Regis obvi-  
am iret, colligit varias antiquorum Doctorum sententias de  
Personâ CHRISTI & Sacra Cœna, Verbo DEI conformes, quæ  
hanc doctrinam tractabant, ut ita declararet ḡρoψηφlār veræ-  
que Religionis conformitatem. Ut hoc Scriptum confutaret  
Rex, aliud eodem anno edendum curavit, quod continebat:  
*Argumenta quædam ex Patribus, Luthero & Philippo Melanchtonem*  
*desumpta, de Unione personali durarum naturarum in Christo, de*  
*Sacramento Eucharistia illiusque vero usu, indignatus valde, quod*  
*Archi-Episcopus in his semina Calvinianismi inveniret (n).*  
Hoc Schediasma rursus ad vivum resecuit Archi-Episcopus, in  
eodem detegens membra non integra, sed Calvinianismi labe  
graviter infecta. Rigidior autem fuit Rex CAROLUS IX.,  
quam ut his flecteretur, quare mox edidit Responsionem suam  
& Veram Informationem de Sacra Cœna (o). An. 1607. editus  
fuit *Catechismus, seu Signum Christianum de fidei articulis*  
*& Capitibus necessariis.* Catechesin illam Auctorem quoque ha-  
bere CAROLUM IX, existimat SCHEFFERUS (p). Quid-  
quid sit, librum hunc etiam refutavit Archi-Episcopus & cor-  
ruptelas ejus perspicue demonstravit. Interea Rex CAROLUS  
in Suethiam arcessendum curaverat JOHANNEM FORBE-  
SIUM, Scotum, quem Archi-Episcopo & Professoribus Up-  
saliensibus opponeret. Hic Regi offerebat Confessionem fidei suæ,  
vel perfidiæ potius. Mox eruditum conflictum cum hoc Ar-  
gyraspide Calviniano instituerunt Upsalienses, sed quum mi-  
nus ordinate se utrinque gererent, idem in aliud tempus dilatus  
fuit. Ut igitur solemniter omnia peragerentur, constituta fuit  
disputationi publicæ dies 17 Nov. 1693, jussitque Rex FORBE-  
SIUM Upsaliam se conferre, & in Academia theses suas publice  
defendere; misit quoque illuc quosdam Senatores Regni, ut  
conflictum Religionis audirent. Actum disputationis gravi  
Oratione apertus Archi-Episcopus, tandemque a FORBESIO  
petiit, ut sibi monstrarentur 68 theses, quas Regi antea tradi-  
derat.

derat. Recusavit quidem aliquamdiu FORBESIUS, causæ suæ forsitan diffusus; tandem vero eas porrexit; quo facto, alea certaminis jaeta fuit. In hac autem palæstra FORBESIUS tam pingui Minerva Calvinianismum proposuit, ut Archi-Episcopus fessionem concluderet his verbis: *Ireneus refert, veteres Germanos classisse aures suas, audita in DELIM contumelia.* Sic fatemur & ipsi aures nostras esse desatigatas auditione contumeliarum in DELIM, ab hoc peregrino homine profectarum. Rogemus DELIM, ut hunc sedulum Virum convertat (q). Quum Rex compriisset, quam crasse FORBESIUS differuisse, omnino id ipsi displicuit, nec ab illo tempore Religionis Evangelicæ veritatem sollicitavit (r). Paullo post decepsit Rex CAROLUS IX. & simul spes omnis Calvinistarum, sacra sua per Sueciam propagandi, evanuit, Crebris autem his disputationibus inter Evangelicos & Calvinianos institutis, CAROLUS, vel pleniorum Religionis verae notitiam haurire voluit, vel hoc modo, quo primus fuerat Pater ejus, dispari successu ad extirpandas præstigias Sacrorum Pontificiorum, introducere studuit Religionem Reformatam; quamvis non desint, qui omnia hæc molimina Aulicis potius, quam cordato Regi tribuenda esse censeant.

(a) Vid. DALINI Histor. Patr. Tom. III. Part. II. p. m. 109. (b). Vid. WERWING Hist. Caroli IX. T. I. p. 153. (c). Vid. DALINI Libr. cit. p. m. 260. (d). Confr. DALINI Libr. cit. p. m. 342. (e). Vid. WERWINGI Libr. cit. T. II. p. m. 23. (f). Vid. BAAZII Invent. Hist. E. S. p. 592. (g). Vid. Libr. sup. cit. p. cit. (h). Vid. Libr. molo cit. p. 601. 602. (i). Vid. BAAZII Libr. cit. p. 603. 604. 605. (k). Confr. DALINI Hist. cit. p. m. 501. (l). Vid. CEDERBR. a descript. Gothoburg. p. 9. (m). Vid. WERWING Tom. II. p. 182. (n). Vid. DALINI Histor. cit. p. m. 531. (o). Vid. DALIN. Loc. cit. (p). In Suecia Litterata p. 53. (q). Vid. BAAZII Libr. cit. p. 634. (r). Vid. WERWING Libr. cit. p. m. 159. (s). BAAZII tantum non omnem culpam conjicit in Aulicos Regis.

